

Junio Kalendarum Novembrium direxi vobis scriptum parvum de fratre Militane, qui recta de Dco sentit. Nam et quatuor mihi quaterniones direxerat, quos direxi contra ipso Pseudopropheta fetidissimo in Beato. Certifica me qui est positus in Roma. Epistolam vestram cœlitus quemadmodum mihi illapsam exeunte Julio accepi, et Deo meo ulnis extensis immensas gratias egi, qui me fecit tuis eloquiis conlectari inter ipsa quotidiana dispendia mundi, quibus duramus, potius quam vivimus.

2. Sed epistolam fetidissimam de filio gehennæ ignis Albino, novo Ario in finibus Austriae tempore gloriösi principis exorto, non Christi discipulo, sed illius qui dixit, *Ponam sedem meam ab Aquilone, et ero similis Altissimo.* De quo scriptum est : *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permanessent utique nobiscum.* Contra quem prout volui rescriptum reddidi, et sanctorum orthodoxorum atque catholicorum sententiis astipulavi. Tua vero sanctitas viriliter agat, et confortetur cor tuum reminiscens quid ipse Dominus dicai : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et iterum : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.* Cavete ergo ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et synagogis suis flagellabunt vos, et ad praesides et reges ducentini propter me in testimonium illis et genibus.

3. Ego vero direxi epistolam tuam ad Cordobam fratibus qui de Deo recta sentiunt, et mihi multa scripserunt quæ in tuo adjutorio debueram dirigere. Sed ad ipso hæresiarcham Albini magistro Antifrasio

A Beato direxi relegenda. Tu vero dirige scriptum illud pro tuo fidele gloriose principali, antequam veniam ad ipso filio mortis Albino, qui non credit carnis adoptionem in Filio Dei, quem sancti Patres et nos ipsi credimus in sola forma servitutis humanae, non in gloria vel substantia divinæ naturæ. De illo fratre nostro qui defunctus est audi vi quod aliquid nobis mandarat dirigere, et ideo quæso ut mandetis ad ipso famulo vestro Ermedeo, ut querat de Judæis qui habent illic uxores et filios, qui fatigium det, et nobis quantum Deus inspiraverit dirigat : ita tamen ut alii Judæi non sentiant qui apud nos habitant, aut si possibile est, ut quemlibet de humiles vestros nobiscum mercaturios qui veniunt dirigatis, et quid egeritis de vestra intentione nobis certificate, et B maxime per libros duos epistolarum beati Hieronymi, et opusculorum beati Isidori, quos habet Ermedeo, quos direxeram ad ipso fratri qui defunctus est : unde et mihi demandaverat quos alios similes repererat. Idcirco tamen applicate ipse Ermedeo ad vos, et instruite illum vestris eloquiis, et veram fiduci doctrinam, sicut ego illi notui.

C 4. Me tamen cognoscite senectute jam decrepita octuagesimo secundo anno a die octavo Kalend. Augusti ingressus fuisse, et orate pro nobis sicut et nos facimus pro vos assidue, ut nos Deus in regione vivorum pariter jungat. Sed omnibus fratibus demuravimus ut pro vos sacrificium Deo offerant. Meritat quantocius de vestro rescripto letus existere. Iustum presentem vobis commando, et presbyterorum nostrum Venerium, si datum fuerit ut perveniat ad vos.

CONFESSIO FIDEI FELICIS

ORGELLITANÆ SEDIS EPISCOPI,

Quam ipse post spretum errorem suum in conspectu concilii edidit, et eis qui in ipso errore ei dudum consentientes fuerant, direxit.

[Ex Mansi, ampl. Conc. Collect.]

MONITUM.

D

INCIPIT

CONFESSIO FIDEI FELICIS.

In Dei nomine Felix olim indignus episcopus, dominis in Christo fratibus Emani presbytero, Ildebrandio presbytero, atque Exsuperio, Gundefredo, Sidonio necnon et Ermegildo, seu cæteris presbyteris, similiter Vitildo, diacono et Witirico, seu cæteris clericis in parochia Orgellitanæ ecclesiæ degenitibus, seu cæteris fidelibus ecclesiæ in superdicto commisso commemorantibus, in Domino Deo Patre et Jesu Christo vero Filio ejus, Domino ac Redemptore nostro, et in Spiritu sancto, æternam salutem.

De cætero ad agnitionem vestram reducius, quia

Felix Urgellitanus a Leidrado aliisque præsalibus Urgello congregatis damnatus, ab eis accepit liberiū commeatum ut in episcoporum cœtu, præsente rege, causam suam ageret. Quod mox factum est in Aquisgranensi concilio. Alcuinus narrat Carolum Magnum regem, ut Felicianam hæresim expugnaret, magnam synodum episcoporum in Aquisgrani palacio congregasse, in eaque se et Felicem, regis jussu, diebus aliquot conflixisse. Victum se denique Felicem voce fletu testatus est. Itaque coram sacerdotibus Dei et imperii optimatibus rationabiliter auditus et veraciter convictus, atque Deo dans gloriam veram fidem confessus, in pacem catholicæ unanimitatis reversus est cum suis discipulis qui ibi tunc temporis erant præsentes, anno Christi 799. EDITORES.

postquam ad præsentiam domini nostri ac piissimi gloriosique Caroli regis perductus sum, et ejus conspectui præsentatus, licentiam ab eo, secundum quod et venerabilis dominus Laidradus episcopus nobis in Orgello pollicitus est, accepimus, qualiter in ejus præsentiam in conspectu episcoporum, quos ad se ordinatio glorijs principis nostri convenire fecerat, sententias nostras, quas ex libris sanctorum habere nos de adoptione carnis in Filio Dei, seu nuncupatione in humanitate ejus, credebamus, repræsentavimus: qualiter non in violentia, sed ratione veritatis, nostra assertio rata judicaretur, si ab illis per auctoritatem sanctorum Patrum minime repudiaretur. Quod ita factum est: nam prolatas a nobis sententias de superdicta contentione, hoc est de adoptione carnis atque nuncupatione, ita illi ex auctoritate de libris sanctorum Patrum, id est, Cyrilli episcopi, et beati Gregorii papæ urbis Romæ, seu beati Leonis, sive et aliorum sanctorum Patrum, qui nobis prius incogniti erant, seu per auctoritatem synodi qua nuper in Roma hac intentione, præcipiente glorijsissimo ac piissimo domino nostro Carolo, adversus epistolam meam, quam dudum venerabili viro Albino abbati Turoensis Ecclesiæ scripsaram, congregata est. In qua synodo præsente Leone apostolico, et cum eo ceteri episcopi num. LVII residentes, et plerique presbyteri ac diaconi cum eis in domo beatissimi Petri apostoli, per quorum omnium auctoritatem istas jam dictas sententias nostras, non qualibet, ut dictum est, violentia, sed ratione veritatis, ut oportuit, excluderunt. Quorum auctoritate veritatis, et totius Ecclesiæ universalis consensu, convicti, ad universalem Ecclesiam, Deo favente, ex toto corde nostro reversi sumus: non qualibet simulatione, seu velamine falsitatis, sicut dudem, quod Deus scit; sed, ut dixi, vera cordis credulitate et oris professione. Quod etiam in conspectu multorum sacerdotum et monachorum professi sumus, poenitinem gerentes de pristino errore et sacramento, quam pro hac intentione olim prævaricatus sum: profitentes nos deinceps adoptionem carnis in Filio Dei, sive nuncupationem in humanitate, nullo modo credere vel prædicare; sed secundum quod dogmatibus sanctorum Patrum informamur, eumdem Dominum nostrum Jesum Christum in utraque natura, deitatis videlicet et humanitatis, proprium ac verum Filium profientes, Unigenitum videlicet Patris, unicum Filium ejus: salvas tamen utriusque naturæ proprietates, ita duntaxat ut nec divinitas Verbi Dei in natura [naturam] credatur humana [humanam] coversa, vel humana a Verbo assumpta invidiæ [in divinam] mutata: sed utraque, id est divina atque humana, ab ipso conceptu in utero Virginis, ita in singularitate personæ sibimet connexæ atque conjunctæ sunt, ut unicus Filius Patri, et verus Deus ex ipso utero gloriose Virginis absque ulla corruptione editus prodiretur. Non ita homo assumptus a Verbo de substantia Patris, sicut ipsiusque Verbum a fidelibus genitus creditur, cum

A sit ex substantia matris; sed quia, ut dictum est, in ipsa vulva sanctæ Virginis ab ipso conceptu ab eo qui secundum divinitatem verus et proprius Dei Filius existit, in singularitate personæ sue susceptus est, atque conceptus, verus et proprius Dei Filius, ex eadem sancta Virgine natus est. Non aliud Dei Filius, et alias hominis filius: sed Deus et homo, unicus Dei Patris verus ac proprius Filius, non adoptione, non appellatione, [seu] nuncupatione, sed in utraque natura, ut dictum est, unus Dei Patris, secundum Apostolum, verus ac proprius Dei Filius creditur,

B Hæc est confessio fidei nostræ, quam, Deo juvante, a sanctis Patribus per eorum scripta cognovimus, et ab universalis Ecclesia post pristinum errorem nostrum accepimus et tenemus. Quod et vos omnes credere et confiteri, per eumdem Dominum nostrum exhortamur, nil diminuentes aut addentes ex sensu vestro, sed hoc quod vobis innotescimus, cum universalis Ecclesia indubitanter retinentes: et ut pro me misero, per quem usque nunc in Ecclesia Dei contentio versa est, ex totis præcordiis vestris Domini misericordiam implorare non dedignetis: qualiter propter vestram emendationem et orationem catholicorum sacerdotum, qui in simili prævaricatione, ut ego, nequaquam obnoxii sunt, Domini misericordiam, priusquam de hoc mortali corpore egrediari, consequi valeam. Quod per hoc me magis consequi a Domino confido, si scandalum seu error in fide, qui per me in usque nunc inter ultrasque partes duravit, per me iterum omnia correcta atque sedata fuerint, atque omnia Ecclesiæ membra in unitate fidei et concordia charitatis velut in unum corpus compaginata, ita nemo ex nobis in Ecclesia Dei ultra scandalum vel quolibet schisma intromittere audeat, sed omnes nos cum universalis Ecclesia, quæ in toto mundo dilatata noscitur, similiter sentientes, et ea quæ dudum orta intentio est, id est, adoptionem carnis seu nuncupationem in humanitatem Filii Dei anathematizantes, pacem, ut dixi, et unitatem fidei cum omnibus fidelibus Ecclesiæ, absque ulla simulatione, inconvulsa fide retineamus: ne cum Nestorii impietate concordantes, qui purum hominem Christum Dominum credidit, alicubi deinceps labamur, qui dixit: « Oportet vero et de Dei dispensatione quam pro nostra salute in dispensatione Domini Christi Dominus Deus perfectit, scire quoniam Deus Verbum hominem perfectum assumpsit ex semine Abrahæ et David secundum pronuntiationem divinarum Scripturarum: hoc constitutum natura, quod erant illi, ex quorum erat semine, hominem perfectum natura, ex anima intellectuali et carne humana constantem, perfectum hominem constitutum secundum nos per naturam, Spiritus sancti virtute in Virginis vulva formatum, factum ex muliere, et factum sub lege, ut omnes nos a servitutis lege redimeret, ante jam prædestinatum adoptionem accipientes, inenarrabiliter sibimet veniens, mortuum quidem eum secundum legem hu-

manam faciens, suscitans vero ex mortuis, et perdu-
cens in cœlum, et consedere faciens ad dexteram
Dei : unde personam constitutos principatus, et po-
testates, et dominationes, et virtutes, et omne quod
nominatur nomen, non solum in hoc seculo, verum
etiam et in futurum, ab omni creatura accepit ad-
orationem, sicut inseparabilem a divina natura ha-
bens copulationem, relationem Dei, et intelligentiam
omni creature adoratione exhibentem. Et neque
duos filios dicimus, neque duos Dominos; quoniam
unus Filius Patris secundum substantiam, Deus
Verbum unigenitus Filius Patris, sicut iste conjunc-
tus et particeps constitutis Filii communicat no-
mine et honore. Dominus secundum essentiam Deus
Verbum, cui iste conjunctus honore communicat.
Et ideo neque duos filios hos dicimus, neque duos
homines : quia manifesto constituto secundum sub-
stantiam Domino et Filio inseparabilem, tenet ad
eum copulationem, qui causa nostræ salutis assum-
ptus conseretur nomine et honore Domino et Filio,
non sicut unusquisque nostrum secundum seipsum
constitutus est Filius. Unde et multi secundum bea-
tum Paulum dicimus filii, sed solus præcipuum ha-
bens hoc quod ad Dei Verbi copulationem, adoptio-
nem et dominationem participans : auferas quidem
omnem suspicionem dualitatis filiorum et dominio-
rum. Præstato vero nobis in copulationem ad Domini
Verbum, bonam haberet ipsis fidem, et intelligenti-
am, et theoriam : pro quibus et adorationem, per
relationem Dei ab omnibus coepit creatura. Unum
igitur Filium dicimus et Dominum Christum, per
quem omnia facta sunt : principaliter quidem Deum
Verbum intelligentes substantialiter Filium Dei et
Dominum, conspirantes autem assumptum Nazaret
[Forte, Jesum a Nazareth. H.] quem unxit Deus
spiritu et virtute, sic in Verbi Dei copulationem
adoptionis participantem et dominationis, qui et se-
cundus Adam. »

Hæc est sententia Nestorii hæretici, qui purum
hominem absque Deo Virginis utero genitum impie
astruebat. In quem hominem ex eadem sancta Virgine
procreatum et genitum, post nativitatem ejus, Ver-
bum Dei, hoc est divinitatem Filii Dei, descendisse
et habitasse p̄e ceteris sanctis impudenter prædi-
cabat. Et ob hoc, sicut in Christo duas naturas, ita
et duas personas in eo satis improbe vindicare
contendebat. Nos vero ejus impietatem anathematizan-
tes, quedam testimonia ex libris sanctorum Pa-
trum, quos Ecclesia venerabiliter recipit, decerpentes,
huic epistolæ subiectimus, per quæ nos ad viam
veritatis post pristinum errorem nostrum reversi sumus,
vobis subter ascriptam direximus : per quæ et
vos de dicta intentione veritatem fidei pleni agno-
scere potestis, et ad rectum tramitem fidei reverti.
Contra quas sententias Patrum dissentiens, aliter
quam illas [Forte, qui aliter quam illæ. H.] nos
informant credere aut docere voluerit, et adoptionem
et nuncopulationem in carne Salvatoris [Suppl. qui
rel quisquis. H.] credere vel prædicare præsumps-

A rit, anathema sit. A quo jaculo anathematis ipse
versus ac proprius Dei Filius, de quo loquitur, tam
vos quam nos, et hic et in futuro liberare dignetur.
Cui cum Patre in unitate Spiritus sancti similis et
coequalis exstat gloria, ante omnia sæcula, et nunc
et in dies æternitatis.

B Beatus denique Cyrillus in tractatu suo inter alia
ita dicit : « Imo multum interest et incomparabili-
bus differentiis gloriæ et eminentiæ Salvatoris no-
stri munitum, ea quæ nostra sunt. Nos enim
famuli sumus : ille vero naturaliter Dominus et Deus,
licet factus sit nobiscum, et in his quæ sunt nostra
dispensative. Præterea et beatus Paulus Christum
eum nominavit et Deum, ita dicens : *Scitote cognoscentes quia omnis fornicator, etc., non habet hereditatem in regno Christi et Dei* (Ephes. v). Solus
autem Christus etiam Deus vere, qui Emmanuel est.
Etenim nos per gratiam Dei, verumtamen non ita
Deus Filius, sed natura magis et veritate, licet caro
sit factus. »

C Item ipse in eodem tractatu post aliqua ita dixit :
« Quomodo proprius Dei Filius nominatus est Christus,
qui etiam traditus est a Deo et Patre, causa
omnium salutis et vite. Traditus est enim propter
peccata nostra, et ipse iniurias malorum porta-
vit in corpore suo, in ligno, secundum prophetæ
vocab (Isa. liii; I Pet. ii). Palam ergo est quia uni-
tatis res assumpta necessarie proprium Filium decla-
ravit Dei, qui ex sancta Virgine est. Corpus enim
erat non alterius cujuspiam secundum nos, sed
magis proprium ex Patre existentis Verbi, natum
ex ea. »

D Item ipse post paululum contra Nestorium : « Sic-
ut enim in Adam omnes morimur, sic et in Christo
omnes viviscamus (I Cor. xv). Si enim non patreretur
humane pro nobis, neque operaretur divine quæ ad sa-
lutem sunt. Dicitur enim prius quidem mori, ut homo :
reviviscere autem postea, eo quod sit naturaliter
Deus. Si igitur non est passus mori carne secundum
Scripturas, neque viviscatur spiritu, hoc est non
revixit. Et si hoc est verum, vana est fides nostra,
adhuc sumus in peccatis nostris. Baptizati enim
sumus in mortem ejus, secundum beatæ Pauli vocem
(Rom. vi), et remissionem peccatorum habuimus per
sanguinem ejus. Sed si est Christus neque Filius
vere, neque naturaliter Deus, sed homo purus se-
cundum nos, et divinitatis organum : salvati quidem
sumus non in Deo quedammodo, sed in uno magis
secundum nos moriente pro nobis, et virtutibus alicui-
nis resuscitato. Quomodo ergo destructa est mors
per Christum? » Et infra. « Colimus autem non ho-
minem purum, absit, sed Deum potius naturaliter,
non ignorantes ejus gloriam, licet factus sit secun-
dum nos. »

E Item beati Gregorii papæ urbis Romæ super
[Forte, super. H.] Moralia : « Eratque ille vir ma-
geus inter omnes Orientales. Omnes, inquit, qui in
hunc Orientem fide pleni consistunt, recte Orientales
vocantur. Sed quia omnes homines, tantummodo-

homines, ipse autem oriens Deus et homo, recte dicitur : Erat magnus inter omnes Orientales. Ac si aperte diceretur : Omnes qui in fide Deo nascuntur superat, quia non ut ceteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat. » Et rursus alibi idem ipse : « Quia omnis homo tantummodo homo est, ipse autem Deus et homo. In terra ei similis non est, quia etsi adoptivus quisque filius ad percipieundum divinitatem proficit, nequaquam tamen ut Deus naturaliter esset, accepit. »

Item in libro beati Job : « Mediatori vero nostro in legislatoribus similis nullus est, quia isti gratuitu vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt. Redemptor autem noster sine peccato est, Filius sine adoptione, nec perpetravit unquam quod redarguit. Quas quidem sententias prius non recte intelligebamus. »

Item beati Athanasii Alexandrini episcopi : « Si quis vero adversus divinas Scripturas docet, alium dicens Filium Dei, et alium qui ex Maria virgine, hominem secundum gratiam adoptatum, sicut nos : quasi essent duo filii, unus secundum naturam qui ex Deo, et unum secundum gratiam qui ex Maria. Et si quis Domini nostri carnem desursum dicit, et non ex virgine Maria, aut mutatam deitatem in

carnem, et confusam, aut passibilem Domini deitatem, aut inadorandam Domini nostri carnem sicut hominis, et non a jorandam Domini et Dei carnem : hunc anathematizat sancta catholica et apostolica Ecclesia. »

Item sancti Gregorii Nazianzeni episcopi ad Cledonium : « Si quis introducit duos filios, unum quidem qui ex Deo Patre; secundum vero, qui ex matre, et non unum eumdemque, et adoptione excedat gratia quae promissa est iis qui credunt : alienum eum a nostro consortio judicamus. Naturæ vero duas Deus et homo : nam et anima, et corpus : Filii vero duo, neque d[omi]ni [Leg.,... neque duo, neque duo d[omi]ni. H.], neque duo homines. »

Item beatus Leo papa urbis Romæ ita dicit : « Exsultet rectarum mentium fides, et verum unumque Dei Filium non solum secundum deitatem, qua a Patre est genitus, sed etiam secundum humanitatem, qua de matre virgine est natus, intelligent. »

Item ipse alibi : « Assumpta est de matre, Domini natura, non culpa; creatæ est forma servi sine conditione servili, quia novus temperatus est veteri, ut et veritatem susciperet generis, et vitium excluderet vetustatis. »

VITA SANCTI BEATI

ABBATIS HISPANICI,

AUCTORE ANONYMO RECENTIORI.

[Ex Act. ord. S. Benedicti, tom. V.]

MABILLONII OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Inter sanctos seculi tertii Benedictini prætermisso retuli hunc Beatum; ob eam videlicet causam quod in vulgatis ejus actis nulla de ipsius monachatu mentio habeatur. Postea vero incidi in quædam argumenta quæ monasticam ejus vitam probant, atque adeo virum doctrina ac sanctitate insignem Benedictinæ familiæ ascribi posse existimo.

2. Beati Vitam in litteras retulit anonymus quidam scriptor Hispanus, qui recentioris videtur aetatis. Hanc scriptiōnem ex Legendario Asturicensi ms. primus vulgavit Joannes Tamaius Salazar in Martyrologio Hispanico, et post eum Joannes Bollandus in Februarii tomo III, cum prævio commentario Godefridi Heuschenii. Sanctum Beatum colunt Hispani, præcipue Asturicenses, eumque vulgo sanctum *Bieco* appellant. De eo præclare agit Joannes Mariana in lib. vii de rebus Hispanicis, cap. 8.

3. Miratur Tamaius Salazar quo titulo Menardus et Yepez (Wionem addit Henschenius) Beatum presbyterum monachum dicant : « cum concors apud scriptores, inquit Tamaius, sententia sit illum solam presbyteri commendationem tenuisse. » Sed Tamaii admiratio procedit ex ignoratione moris antiqui cum monachi quique, qui sacris iniciati erant, suscepti ordinis vocabulis passim insignirentur, abiecta plerumque, rarius adjecta monachi appellatione. Sic Hieronymus, sic Beda presbyteri; sic Paschasius Albertus levita, aliisque eundem in modum nuncu-

pantur. Verum, ne gratis de Beato id dixisse videar, proferenda sunt argumenta, quibus sine dubio acquiescat Tamaius, et qui cum eo sentiunt. Primum desumo ex Alcuini libro i adversus Felicem, ubi Beatus *abbatis* titulo donatur. Neque enim apud Visigothos seu Hispanos alii erant abbates præter monachos et regulares. Alcuni haec verba sunt. « Quod vero quemdam Beatum abbatem, et discipulum ejus Heterium episcopum dicitis huic vestrae sectæ primum contrarie, laudamus eos, etc. » At ne fortasse etiam apud Hispanos obtinuisse abbates seculares reponat aliquis, alterum argumentum affero ex ejusdem Beati lib. ii contra Elipandum. « Vere bonum, inquit, et vere jucundum habitare fratres in unum. Unum fratrem dimisimus in seculo, ecce quantos invenimus in Monasterio. Frater meus secularis non tantum me amabat, quantum substantiam meam; ceterum fratres spirituales, qui sua utique negligunt, aliena non querunt. » Haec nullatenus seculari homini convenire possunt, sed necessario aptanda monacho, qui cum *unum fratrem* dimisisset in *seculo*, longe plures *spirituales* fratres iuuenit in *Monasterio*. Isti sunt *spirituales* fratres in quorum gratiam idem Beatus commentarium in Apocalypsim compositum haecne ineditum, in cuius prefatione Ambrosius Morales sequentia verba legit. « Hec ego, sancte Pater Heteri, te petente, ob ædificationem studii fratrum tibi dedicavi : ut quem conseruem